

XXIII

AD PHIDYLEN

Strophe Alcaica

Caelō supīnās sī tuleris manūs
Nāscente lūnā, rūstica Phīdylē ;
Sī tūre plācāris et hornā
Frūge Larēs, avidāque porcā :

Nec pestilentem sentiet Āfricum
Fēcunda vītis, nec sterilem seges
Rōbīginem, aut dulcēs alumnī
Pōmiferō grave tempus annō.

Nam, quae nivālī pāscitur Algidō
Dēvōta quercūs inter et īlicēs,
Aut crēscit Albānīs in herbīs
Victima, pontificum secūrēs

Cervīce tinget : tē nihil attinet
Temptāre multā caede bidentium
Parvōs corōnantem marīnō
Rōre deōs fragīlique myrtō.

Immūnis āram sī tetigit manus,
Nōn sūmptuōsā blandior hostiā
Mollīvit āversōs Penātēs
Farre piō et saliente mīcā.